CATONIS

DISTICHA MORALIA CVM SCHOLIIS

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI.
Auctoris damnati.

OMNIA OPERA ERASMI CAVTE
legenda : tam multa enim inſunt
correctione digna vt vix omnia
expurgari poſſint.

EDITIO TERSIOR, FACTA PER
Antonium Pratum, Presbyterum,
Theologum.



BARCINONÆ

Ex Typ. Franciſci Guaſch, in via Palea,
Anno Domini 1700.



ANTONIVS

PRATVS, PRESBYTER THEOLOGVS.

ET hunc ERASMI libellum, mus fœdus fœda labe respersferat. Emaculando operi opera impensa nostra. Non à numerosa solùm mendorum multitudine, vt Augie bubile, repugnavimus typographium; sed maculosa DESIDERII SCHOLIA, ne quemquam inficerent, aut fascinarent, detersimus; exemimus de tritico lolium, Græcas dictiones depravatas correximus, sublatas operarum inscitia restituimus, & collatis vetustissimis codicibus, germanam lectionem retinuimus. Editione igitur curâ nostrâ tertiore factâ, LECTOR, fruere.

ERASMVS

ROTERODAMVS D. IOANNI NEVIO HONDISCHOTANO, Lilianorum apud inclitum Lovanium Gymnasiarchæ S.

DISTICHA moralia vulgò Catonis inſcripta titulo, Nevi Theologorum decus, primùm diligenter à mendis repurgavimus, collata Planudis interpretatione: tametſi Græculus ille Romani carminis ſententiam ſæpenumerò non aſſequitur. Addidimus, & ſcholia perbrevia quidem illa, ſed aliquantò commodiora, ni fallor, iis commentariis, quibus duo quidam opuſculum hoc contaminaverant: quorum alter inſulſiſſimè rhetoricatur, Homo ipſa infantior infantia: alter ineptiſſimè philoſophatur; uterque loquitur. Porro cujus auctoris ſi hoc opus, & utrum unius an plurium non admodum referre puto; Catonis ob id

tan-

tantum arbitror dici, quod sententias habet Catone dignas. Adjecimus his Mimos Publicanos, falsò inscriptos, Senecæ proverbia: atque his quoque castigatis (offendimus enim depravatissimos) adscripsimus brevissima scholia, rejectis iis, quæ perperam erant admista ex aliorum libris, tum appositis ex aliquot Auli Gellij Noctibus, & Seneca controversijs. Sed interim clamabit vitiligator aliquis, Heu Theologum in tam frivolis versari nugis! Primùm ego nihil fastidiendum duco quantumvis humile, quod ad bonas pertineat litteras, nedum hosce versus, tanta Romani sermonis munditie, tamque ad bonos mores conducibiles. Quanquam cur me pudeat in hoc genere paucúlas horas collocare, in quo non pauci scriptores Græci, non mediocri cum laude sunt versari? Nam exstant, & hodie Theognidis sententiæ, Phocilidis, & Pythagoræ præcepta, non abs re aurea dicta. Denique si mihi indecorum esse volunt, emendasse hæc tam humilia, & explanasse, multò fœdius erit eadem, & depravata fuisse, & (quod ex ipsorum liquet commentarijs) ista tam puerilia non intellecta fuisse ab ijs viris, qui se nihil nescire putant. Nam Publij Mimos quis contemnat, quos Aul. Gellius lepidissimos, Seneca disertissimos vocat, cujusque sententias (ut idem testatur) non piguit summos etiam rhetores æmulari: addidimus, & hominis Christiani institutum, quos nos carmine dilucido magis, quàm elaborato sumus interpretati, conscriptum antea sermone Britannico à Joanne Coleto, quo viro non alium

habet, mea quidem sententia, florentissimum Angelorum Imperium, vel magis pium, vel qui Christum verius sapiat. Hoc quidquid est laboris tibi, nuncupandum duximus, mi Nevi ornatissime, simul vt habeas, quod tuis praligi curis alumnis, quos nulla neque litterarum, neque morum barbarie sinis infici: simul vt hoc qualecumque monumentum non sinat nostram necessitudinem intermori. Non me clam est, quàm sit hoc plus quàm levidense manusculum impar magnitudini tuæ, qui cum eruditione rara, tum moribus non minùs integris quàm festivis, & ornas ornatissimum Theologorum ordinem, & Illustrissimam Lovaniensium scholam illustras, Verùm confidebam fore, vt optimo viro libellum quantumvis pusillum ipsa commendaret vtilitas. Benè vale. Lovanij,

Anno M. D. XIII. Cal. Augusti.

PRÆ-

PRÆFATIO

CUM BREVISSIMIS CITRA CARMEN PRÆCEPTIS.

CUM animadverterem, quamplurimos homines errare graviter in via morum, succurrendum, & consulendum eorum opinioni fore existimavi, maximè ut gloriosè viverent, & bonorum contingerent. Nunc te, fili carissime, docebo, quo pacto mores animi tui componas. Igitur mea præcepta ita legito, ut intelligas. Legere enim, & non intelligere, negligere est.

Itaque Deo supplicia. Prima pietas est in Deum.

Parentes ama. Proxima in parentes.

Cognatos cole.

Tertia, in reliquos cognatos. Supplicamus Deo sacrificijs. Amamus parentes, dum observamus, & obsequimur. Colimus cognatos officijs, & consuetudine vitæ.

Magistrum metue.

Olim dabatur ingenuis pueris pædagogus, quem vererentur. Hunc Magistrum vocat. Et animadverte verborum proprietatem. Deo supplicandum est. Parentes amandi. Cognati colendi. Magister metuendus, quippe servus plerunque, juxta veterum consuetudinem.

Datum serva.

Quod tuæ creditum est fidei, id serva veluti depositum.

Foro te para.

Id est, his artibus te exerceas, vt possis in foro versari : hoc est in causis agendis. Nam hic erat olim primus gradus ad honores summos. Legi in quibusdam vetustissimis codicibus, *Foro pare.* Id est, accommoda te rebus præsentibus, quemadmodum dicimus, vti foro. Cum hoc interpretamento consentit Græcus Planudes: neque dubium est, quin hæc sit germana lectio.

Cum bonis ambula.

Cum optimis habeto consuetudinem. Nam primùm talem te judicabunt, cum qualibus conspexerint te consuetudinem agere : deinde de bonorum convictu redderis melior.

Ad consilium ne accesseris, antequam voceris.

Ne ingeras teipsum alienis negotijs, sed accersitus accedas.

Mundus esto.

Id est, neque sordidus, neque luxuriosus, sed eleganti munditie. Salu-

Saluta libenter.

Conciliat enim ea comitas, & affabilitas multorum benevolentiam, & alit pacem.

Majori cede.

Id eſt, noli certare cum potentioribus.

Minori parce.

Id eſt, noli ſævire in eos qui ſunt inferiores, ſed illis concede nonnihil.

Rem tuam cuſtodi.

Ne profundas temerè facultates tuas, ne vel turpiter egeas, vel turpiùs rem pares.

Verecundiam ſerva.

Id eſt ſerva, te incontaminatum, ac purum ab inquinamentis libidinum. Caſtum enim verecundum dicitur. Eſt autem ætatis flos his periculis obnoxius.

Diligentiam adhibe.

Cura in omni re plurimùm valet. Negligentia ſemper comitem habet infelicitatem.

Libros lege.

Nam ex his citò diſcitur, quod longo vitæ vſu vix aſſequi queas.

Quod legeris memento.

Nam quidam onerant ſe lectione, alia ſuper alia ingerentes, neque quidquam inſculpunt memoriæ.

Familiam cura.

Domeſtica negotia tibi curanda ſunt non aliena.

Blandus esto.

Id est, comis in congressu.

Irasci ab re noli.

Ne sis morosus. Nam omninò non commoveri, stipitis est potiùs, quàm hominis.

Neminem irriseris.

Est enim argumentum arrogantis stultitiæ. Vel.

Miserum ne irriseris.

Sic enim quidam codices habent, hoc est, Animi vitia rideri merentur: calamitas misericordiam meretur potiùs, quàm nasum.

Mutuum dato. Cui des videto.

Est quidem aliquando danda pecunia mutuò, sed non quibuslibet, sed reddituris bona fide, sed dignis efficio, denique ijs, quibus non graveris, & dono dare.

Iudicio adesto.

Adsunt advocati, & id olim erat officium præcipuum in amicos, adesse in judicijs.

Conviuare rarò.

Sæpiùs vocare ad convivium, exhaurit substantiam: sæpiùs ire ad convivium, sordidum est. Ad rariùs vtrumque facere, humanitatis est.

Quod satis est domi.

Hoc est, non ad voluptatem; sed necessitatem naturæ. Pueris septem horis dormisse, satis est.

Iusjurandum serva.

Non est temerè jurandum quod autem juraris, præstandum est, nisi scelus sit, quod juraris.

Vino

Vino te tempera.

Esto moderatus in vino, vel abstine à vino. Nam adolescenti dare vinum, est oleum igni addere.

Pugna pro patria.

Pugnandum est, non pro quavis re, sed pro defensione patriæ. Nam, Carum more, mercede pugnare turpissimum est, & plusquàm gladiatorum.

Nil temerè crediderit.

Id est, ne facilis sis ad credenda quævis, quæ dicuntur.

Tute consule.

A te ipso pete consilium, qui te tuamque optimè nostri. Aut.

Tutò consule.

Id est, cave à consilijs periculosis, tuta consilia sequere. Nam duplex est lectio.

Meretricem fuge. Litteras disce.

Ætas enim prima studio litterarum optimè coercetur à scortis.

Nil mentiri debes.

Turpe in puero ingenuo omne mendacium. Planudes legit, *velis* pro *debes*, & magis arridet.

Bonis benefacito.

Beneficia non sunt conferenda nisi in bonis, alioqui pereunt. Sed Christiani etiam in inimicos.

Maledicus ne esto.

Id est, à convicijs tempera, neque carpas vitam alicujus.

Existimationem retine.

Bonam famam tuere, ne perdas: perit enim facilè, at non facilè sarcitur.

 Æquum

Æquum judica.

Id eſt, non ad lucrum, aut ad gratiam, ſed ad regulam æquitatis.

Parentes patientia vince.

Ferendi ſunt parentes etiam iniquiores.

Beneficij accepti memor eſto.

Nam dati pulchrum eſt oblivisci. Accepti meminiſſe decet.

Ad prætorium ſtato.

Multa enim diſcuntur in agendis cauſis.

Conſultus eſto.

Id eſt, calleas ſcientiam, & morem juris, vt poſſis amicis opitulari.

Utere virtute.

Non vitibus neque dolo.

Iracundiam tempera.

Antè monuit non eſſe iroſcendum ſine cauſa: Nunc admonet, juſtam etiam iram moderandam eſſe.

Trocho lude. *Aleas fuge.*

Trochus convenit pueris. Alea infamis erat, & apud gentiles, Nunc principum luſſus eſt, immò quorundam etiam deliciæ.

Nihil ex arbitrio virium feceris.

Tyrannicum enim eſt, reſpicere quantum poſſis, non quantum liceat.

Minorem te ne contempſeris.

Ne faſtidias inferiorem te; quod eſt elati, non cordati.

Aliena concupiscere noli.

Esto contentus tuis.

Conjugem ama.

Ut omnium fortunarum sociam.

Liberos erudi.

Filios castiga, & institue.

Patere legem, quam ipse tuleris.

Quam Conditionem præscribis alijs, eadem vtere ipse in alios.

Pauca in convivio loquere.

Ut sit alijs etiam loquendi locus.

Illud stude, quod justum est.

Quod turpe factum est, id ne affectes.

Amorem libenter ferto.

Odium omnibus modis fugiendum est. Amor amplectendus, etiamsi quis parum dignus est, qui redametur, tamen amari te patere.

DISTICHORVM

MORALIUM.

LIBER I.

SI Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

VUlgus existimabat Deum placari victimis pecudum, rebusque corporeis. Verùm cùm Deus ipse sit animus, hoc est mens, non corpus, & consentaneum est simile gaudere simili, nimirum potissimū colendus est puritate mentis. Quin, & hodie Christiani meritò corporeis quibusdam cærimonijs colunt Deum, cùm gratissimus cultus sit animi pietas. Tales enim adoratores quærit Pater, qui in spiritu adorent, cùm ipse sit spiritus. Nulla gratior pietas Divis, quàm si vitam illorum imiteris: hoc est, tolerantiam, mansuetudinem, castimoniam. Atqui hæc animi sunt. Animus est Deus. Fac quantùm potes à corpore te abducas, & ad illum quantùm potes accedas, & gratissimum immoles sacrificium *pura mente*. Nam vulgus lotis manibus ac pedibus ad Sacrum accedebat: Tu mentem purga. Hujus sordes Deum offendunt, qui videt ea, quæ sunt in animo, non in corpore. *Si*

Deus. Si, hic non dubitantis est, sed ratiocinantis. *Ut carmina.* Nam Virgilius in sexto, Deum spiritum, & mentem vocat. *Præcipuè.* Ut intelligas non damnari cultum corporalem, sed hunc tamen, nempè animi, esse Deo gratissimum.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.
Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat.

Sensus est. Cùm vita vigilia sit, juxta Plinium, cavendum est, ne maximam vitæ partem somno perdamus, præsertim cùm è somnolentia vita multa nascantur, & corporis, & animi.

Virtutem primam esse puta, compescere linguam:
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Prima, id est, summa maximáque virtus est, moderari linguam, ne quid temerè loquaris. Deus enim qui sapientissimus est, rarò loquitur, & non nisi necessaria, cùm nihil non videat, nihil non intelligat. Itaque proximus est Deo, qui sapienter, & animi judicio novit tacere.

Sperne repugnando, tibi tu contrarius esse.
Convenit nulli, qui secum dissidit ipse.

Qui secum ipse pugnat, nec sibi constat, hic cum alijs convenire non potest. Hoc est, qui moribus est inæqualibus, nec vllo certo vitæ instituto, is non est aptus ad aliorum consuetudinem.

Si vitam inspicias hominum, si denique mores:
Cùm culpes alios, nemo sine crimine vivit

Mortales aliorum notant vitia: sua nemo videt, cùm nullus vitijs careat, si quis proprius vitam, ac mores excutiat.

Quæ nocitura tenes, quamvis ſint cara, relinque:
Utilitas opibus præponi tempore debet.

Aliquoties expedit in loco res cariſſimas abjicere, ſi periculum afferant: veluti gemmas, & aurum, quò vita ſit in tuto: aut voluptates, quò valetudini conſulamus. Non enim voluptates ſpectari debent, ſed vtilitas.

Conſtans, et lenis, vt res expoſtulat, eſto.
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.

Pro tempore licet alios atque alios mores ſumere, vt modò gravis ſis, modò lenis; hoc eſt placidus ac remiſſus, pro re, próque loco. Vide num legendum ſit *levis*, pro *lenis*, quod magis reſpondet ad *conſtans:* vt ſit ſenſus. Aliquando perſiſtendum in ſententia, aliquando mutandum conſilium pro tempore. Porrò verſus conſtabit, ſi legas.

Conſtans, et levis vt res cumque expoſtulat, eſto.

Neque dubitem affirmare, hanc germanam eſſe lectionem. Carmen alij emendant: *Conſtans, et lenis, ſicut res poſtulat, eſto.*

Nil temerè vxori de ſervis crede querenti.
Sæpe etenim mulier, quem conjux diligit, odit.

Illud vxoribus fermè peculiare eſt, vt maritos inſtigent in ſervos. Unde monet, ne temerè fidem habeant hujuſmodi querelis

Cumque mones aliquem, nec ſe velit ipſe moneri,
Si tibi ſit carus, noli deſiſtere cœptis.

Non ſatis eſt leniter admonere peccantem amicum, vrgendus eſt: inſiſtendum, vt vel improbitate ante. vin-

vincas, si quid erit; quod ad famam illius, aut salutem pertineat.

Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Si cum cordatis agas, non est opus multis verbis: si cum stulto, frustra contendis; propterea quòd stultitia verbosissima sit.

Dilige sic alios, vt sis tibi carus amicus,
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

Sic amicis vtere, vt ipse tibi sis proximus. Sic alijs benefac, ne tibi ipsi noceas. In priori versu est venusta redditio similium in *dilige*, & *amicus*: in secundo contrariorum, *bonis*, & *mala*.

Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi,
Nam nulli tacuisse nocet; nocet esse loquutum.

Ne quid in vulgus sparseris, propterea quòd rumor sæpenumero in ejus caput recidit, à quo profectus est. Si rumor nihil habet periculi, tamen nihil nocet siluisse: si quid habet, nocet loquutum esse.

Rem tibi promissam certò promittere noli:
Rara fides, ideo, quia multi multa loquuntur.

Noli certò promittere cuiquam, alieni promissi fiducia. Quod in te situm est, id præstare potes: alienam fidem præstare non potes. Et vulgus hominum ad pollicendum facilimum, in præstando sæpe fallit.

Cùm te quis laudat, judex tuus esse memento.
Plus alijs de te, quam tu tibi credere noli.

Ne teipsum æstimes aliorum laudatione, sed tua

ipsius conscientia. Teipsum interroga qualis sis, & si animus tibi responderit, te longè alium esse quàm hic, aut ille te facit, magis credere debes tibi ipsi, cui notior es, quàm alijs.

Officium alterius multis narrare memento:
Atque alijs cùm tu benefeceris, ipse sileto.

Beneficij accepi meminisse oportet, obliviſci dati. Qui dat beneficium, ejus est dissimulare se dedisse, ne commemorando videatur opprobrare. Ejus qui accepit, & passim prædicare, ne videatur ingratus, & immemor.

Multorum cùm facta senex, & dicta recenses,
Fac tibi succurrant juveni, quæ feceris ipse.

Senex qui multa viderunt, & audierunt, multorum dicta factaque solent referre. Sed curandum est, vt ita nos geramus in juventute, vt in senectute succurrat nobis, non solùm quid alij rectè dixerint, aut fecerint, verum etiam quid nos ipsi.

Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:
Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Cùm videris quosdam inter se secretò colloqui, ne statim suspiceris eos malè de te loqui. Nam id signum est hominis malè sibi conscij.

Cùm fueris fœlix, quæ sunt adverso, caveto:
Non eodem rursu respondent vltima primis.

In rebus secundis ne quid accidat adversi cavendum est. Solet enim fortuna sæpius verti in diversum, & lætis initijs addere tristem exitum. Ergo cùm res secundæ sunt maximè, tum maximè meditandum est,

quo pacto adversam fortunam feras: ne si inexpectata venerit, & improvisum te oppresserit calamitas, succumbas.

Cùm dubia, & fragilis sit nobis vita tributa:
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.

Legendum est hoc hæredipetis, & qui testamentis inhiant. Fit enim sæpenumero, vt qui mortem alterius expectabat, prior ipse moriatur, etiamsi junior, aut robustior fuerit. Nam ipsa hominis vita fragilis, & incerta res est, & quovis casu abrumpitur.

Exiguum munus cùm dat tibi pauper amicus,
Accipito placidè, plenè, & laudare memento.

Munera sunt æstimanda non suo pretio, sed animo donantis. Ita legimus summos princeps aquam manu cava haustam, & malum oblatum, summa cum alacritate, perindè vt maximum munus accepisse. *Accipito placidè*, alacri vultu, vt ostendas tibi gratum esse. *Et plenè*, id est, non malignè, sed candidè, vt præ te feras, pro exiguo munere te multum debere.

Infantem nudum cùm te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Cùm natura nudos produxerit, satis intelligere possumus divitias alienas esse, neque secundum hominis naturam. Si membrum perdis, est fortassè quod doleas, aliquid tui decessit. Sin opes auferuntur aut non contingunt, noli valde cruciari. Siquidem in his, quæ verè sunt hominis, nihilo plus habent Reges, quàm tu pauper. Vis scire quid verè

tuum sit? Cogita quid habueris cùm nascereris.

Ne timeas illam, quæ vitæ est vltima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit idipsum.

Qui mortem timet, non solùm non effugit mortem, sed insuper hoc ipsum vitæ quod datur, perdit. Nam anxiè vivere, non est vivere.

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,
Incusare Deum noli, sed te ipse coerce.

Nihil est acerbius, quàm amicus ingratus. Quod tamen si acciderit, non est imputandum Deo, tanquam illius acciderit culpa. Quin potius teipsum coerce, ne denuò benefacias ingratis. Quidam enim, si benefacientibus fortuna non respondeat, superos incusant, dicentes eos non habere rationem rectè factorum, cum ejus acciderit culpa, qui sine delectu contulit beneficium.

Ne tibi quid desit, quæsitis vtere parcè:
Vtque, quod est, serves, semper tibi deesse putato.

Vtere parcè. Modicè, non profusè, *quæsitis*: id est, partis. Et vt serves quod habes, semper imaginare tibi deesse, vt semper aliquid addas. Sera autem, vt inquit Hesiodus, in fundo parcimonia est.

Quod præstare potes, ne bis promiseris vlli,
Ne sis ventosus, dum vis vrbanus haberi.

Quod non possis efficere, ne semel quidem est promittendum, ne temerè facias. Porrò quod præstare possis, id iterum atque iterum promittere jactantiæ est, non humanitatis. Molesta est verbosa promissio, molestior exprobratio.

Qui

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simile; sic ars deluditur arte.

Erga eum, qui fuco vtitur, tu item contra vtere fuco: & iuxta proverbium, *Cretiza contra Cretensem.* Satiùs est nonnunquam retinere simulatum amicum, quàm reddere apertum inimicum. Id enim fiet, si ostenderis te sentire fucum.

Noli homines blandos nimiùm sermone probare.
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit anceps.

Semper suspecta sit tibi blandiloquentia. Nec æstimes homines ex bonis dictis, sed ex benefactis. Insidiatur tibi quisquis admodum blandus est. Memento sic capi, & illici aves, videlicet imitatione vocis. Et assentatione maxima pars hominum capitur, dum adulator sese ad omnes affectus attemperat.

Si tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Artem, vt habet proverbium, non solùm quævis terra, sed quævis etiam alit fortuna. Unde certissimum viaticum est ars, quæ quocumque terrarum venias, defendit ab egestate. At nunc vulgus liberos, suos divitum aut principium ministerijs dedicat, vbi duo simul maxima discant mala, luxum, & otium. Porrò, quod hic præcipit pauperibus esse faciendum, id ego suaserim divitibus quoque, vt liberos suos iubeant artem aliquam discere: vnde geminum commodum consequantur. Primùm, prima illa ætas artificio occupata, longè pa[...]oribus

inficietur vitijs. Deinde si fortuna abstulerit opes, non erit, cur vel mendicent, vel ad sordidas, aut fœdas artes adigantur, puta turpe ministerium, aut malitiam.

Quod vile est carum, quod carum est vile putato,
Sic tibi nec parcus, nec avarus habeberis ulli.

Quod vulgus magni facit, tu contemne. Quod vulgus negligit, tu magnifacito. Ita fiet, vt nec tibi sis parcus. Audebis enim vti, quæ non magni facis. Neque cuiquam videaris avarus, cùm non expetes avidè, neque servabis attentè, quæ cupiunt illi. Vulgus plurimi facit divitias, minimi facit probitatem, & eruditionem. Tu inverte æstimationem. Res autem cuique tales sunt, qualis est de his opinio. Vulgus lautam rem putat pavonem, aut rhombum: tu contrà vilem rem putato, & putarem esse lautissimam ovum gallinæ recens: lactucam pullum gallinaceum. Ita nec tibi videris sordibus, cum habeas lauta tuo judicio, nec aliorum expetes lautitias, quæ tibi viles sunt.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Turpe est committere te, quod doces alios non esse committendum. Vita turpis abrogat auctoritatem docenti.

Quod justum est petito, vel quod videatur honestum.
Nam stultum est petere id, quod possit jure negari.

Quod inhonestum est, a nemine petendum est. Nullus enim debet cuiquam in re turpi mortem gerere.

Aut

Aut sic: *Quod injustum est*, id est, quod non debetur, jure negari potest. Ergo non à quovis petas, sed ab eo, cujus officium est præstare, quod petis: neque quidvis, sed quod cum honestate conjunctum est. Nam id petitur aliquando, & ab his qui non debent.

Ignotum tibi nolito præponere notis:
Cognita judicio constant, incognita casu.

Ne facilè commutes nota cum ignotis, putà amicum, vel rem, vel vitæ genus. Notis enim commodius vteris, de quibus judicare potes. Quæ si bona sunt, rectiùs vteris: sint mala, faciliùs tolerabis Quandoquidem juxta Planudum, *Nota mala, mala non sunt:* ignota verò cujusmodi futura sint, incertum est. Fit autem sæpenumerò, vt quæ in expetendo putatis prima, in experiundo repudies.

Cùm dubia incertis versetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem quicumque laboras.

Planudes Græcus legit *incertis*, vt sint duæ dictiones. Cùm igitur vita per se incerta, versetur in periculis incertis, vnumquemque vitæ diem in lucro deputa, vnusquisque enim dies poterat esse vltimus, & incertum erat an tibi contingeret. Ergo in tot vitæ periculis quicumque dies non eripitur, is in lucro est imputandus. *Quicumque laboras*, id est, quicumque solicitus es, & augeris hujus vitæ malis. Tametsi, vt dixi, non ignoro Planudem secùs exposuisse. Sed non est sententia illum per omnia sequi. Nam mihi magis probatur, vt legamus *incertis* vnica dictione, ad hunc

modum vt, *vita dubia verſetur*, id eſt jactetur *incertis periculis*, id eſt, caſibus. Nam pericula hoc minùs à nobis vitari poſſunt, quod incerta ſunt. Vitaſti naufragium, non vitaſti ruinam: vitaſti bellum, incidis in latrones: vitaſti peſtem, morderis à vipera. Mille periculis obnoxia eſt hominis vita, atque his quidem incertis, & ob id inevitabilibus.

Vincere cùm poſſis, interdum cede ſodali:
Obſequio quoniam, dulces vincuntur amici.

Nihil hoc diſticho elegantius fingi potuit. Obſecundandum aliquoties amicis, & de tuo jure concedendum. Siquidem ea facilitas, ac morigeratio retinet amicos in amicitia. Contrà quidam dum obſtinatè rixantur de lana caprina, malunt amicitiam reſcindere, quàm vlla in re obſequi animo amici.

Ne dubites, cum magna petas, impendere parva:
His etenim rebus conjungit gratia caros.

Amicitia conſtat officiis mutuis; & juxta proverbium, *manus manum fricat*. Gratiam hic vocat deam benevolentiæ.

Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta eſt.
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

Cavendum eſt, ne per inimicitiam lis indicat cum amico, propterea quòd ex jurgio reſident in animis veſtigia quædam, quę benevolentiam vertunt aliquoties in odium. Et non optimè coire ſolet ſemel reciſſa concordia. Ergo moroſitas omnis, & aſperitas debet abeſſe ab amicitia.

Servorum ob culpam, cùm te dolor vrget in iram;

Ipſe

Ipse tibi moderare, tuis vt parcere possis.
Ne punias servum, aut discipulum, quandiu senseris te ira commutum. Pessimus enim auctor rerum gerendarum ira, sed priùs tempres animo tuo, vt sedata iracundia, vel ignoscas, vel mitiùs punias. Ita Philosophus quidam: *Punirem te*, inquit servo, *ni iratus essem.* Et Plato sublato in servum baculo, rogatus quid ageret. Ego, inquit, castigo hunc intemperantem, seipsum significans ira concitum.

Quem superare potes, interdum vince ferendo:
Maxima enim morum semper patientia virtus.
Maximi animi est, cùm possis vincere, pati tamen vt vincaris, & negligere adversarium. Hac virtute inter mortales non est alia præstantior.

Conserva potiùs, quæ sunt jam parta labore:
Cùm labor in damno est, crescit mortalis egestas.
Faciliùs, ac tutius est servare quod tuo labore quæsitum est, quàm sarcire quod profusione diminueris, ac detriveris. Cùm enim laboratur integrare, facilè defenditur inopia. Verùm cum laboratur in damno sarciendo, increscit, & obruit nos egestas.

Dapsilis interdum notis, caris, et amicis,
Cùm fueris felix, semper tibi proximus esto.
Cùm tu felix, hoc est, lauta fortuna, *fueris interdum dapsilis*, id est, liberalis *notis, caris, & amicis*: notis, vt vicinis: caris, quos diligis: amicis, vt cognatis. *Semper tibi proximus esto.* Interdum in illos sis beneficus, in te semper. Et ita amicis sis amicus, vt tibi ipsi sis amicissimus.

DISTICHORVM

MORALIUM.

LIBER II.

Telluris si fortè velis cognoscere cultus,
Virgilium legito: quòd si mage nosse laboras
Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet.
Si Romana cupis, & punica noscere bella,
Lucanum quæras, qui Martis prælia dicet.
Si quid amare libet, vel discere amare legendo,
Nasonem petito; sin autem cura tibi hæc est,
Vt sapiens vivas, audi quo discere possis.
Per quæ semotum vitijs traducitur ævum.
Ergo ades, & quæ sit sapientia, disce legendo.

INTERPRETATIO.

HOc est, ex alijs poetis alia licebit cognoscere. Virgilius in libris Georgicon docet Agriculturam, Macer tradit vires herbarum: quamquam alius quispiam fuit hic Macer, quàm is quem habemus vulg , ni fallor. Lucanus narrat Romanorum civi-

civilia bella: vbi legendum arbitror *civica* pro *Punica*. Nihil enim de Punicis bellis legitur scripsisse Lucanum. Ovidius tradit artem amandi, & in Eligiis docet mores. Quòd si cupis artem, & rationem rectéque beatéque vivendi cognoscere, hunc librum lege. Is te docebit non vulgares artes, & nugas, sed quo pacto vitam exigas, semotam, id est, liberam, & immunem à vitijs.

Si potes, ignotis etiam prodesse memento.
Utilius regno est, meritis acquirere amicos.

Non solùm in amicos oportet esse beneficum, verùm ignoti quoque conciliandi sunt, ac devinciendi beneficentia, si modò possis prodesse. Utilius enim est quamplurimos amicos parare *meritis*, id est, benefactis, quàm parare regnum. Regnum enim eripi potest, amici succurrunt ejecto, & firmiores sunt quos beneficio adjunxeris, quàm quos potestate premas.

Mitte arcana Dei cœlúmque inquirere quid sit.
Cùm sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

Juxta Socratis sententiam, *Qui supra nos, nihil ad nos*. Admonet, vt omisso studio naturalis Philosophiæ, ea curemus, quæ ad vitam humanam pertinent: hoc est, ad mores componendos, & animum malis purgandum affectibus.

Linque metum lethi, nam stultum est, tempore in omni.
Dum mortem metuis, amittis gaudia vitæ.

Eandem sententiam legis in priori libro. Pro *amittis* arbi-

arbitror legendum *amittere*. Qui mortis metu ſemper anxius vivit, ſtultè facit. Primùm enim non vitat id, quod timet. Deinde ſi quid habet hæc vita jucunditatis, eam ſuo vitio perdit.

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Pyrrhus admonere ſolitus eſt tyrones, ne iraſcerentur: at multò magis oportet cavere iracundiam eos qui diſputant. Melius enim judicat qui vacat hac Contrà, ira obſtat animi judicio.

Fac ſumptum properè, cum res deſiderat ipſa.
Dandum etenim eſt aliquid, cum tempus poſtulat, aut res.

Equidem opinor *promptè* legendum, pro *properè*. Sumptum, qui neceſſariò faciendus eſt, libenter, & promptè facito, ne videaris gravatim facere. Nam aliquid omninò inſumendum eſt, non paſſim, ſed quoties tempus, aut cauſa poſtulat, hoc eſt, in nuptijs, in feſtis, item in amicos.

Quod nimium eſt, fugito; parvo gaudere memento.
Tuta magé eſt puppis, modico quæ flumine fertur.

Humilis fortuna tutior eſt, quàm excelſa: vt navis tutior, quæ in parvo eſt flumine, quàm quæ in pelagi fluctibus natat.

Quod pudeat, ſocios prudens celare memento.
Ne plures culpent id, quod tibi diſplicet vni.

Ne indicaveris amicis, aut ne commitas teſtibus alijs, cujus te facti pudeat: ne plures reprehendant ſi ſcierint id quod vni tibi diſplicet, ſi ſolus tibi conſcius fue-

fueris, hoc eſt, ſi quod peccas, pecces abſque arbitris. Nec hanc ſententiam intellexit Græcus Planudes.

Nolo putes pravos homines peccata lucrari.
Temporibus peccata latent, et tempore parent.

Ne putes nocentes lucrari, hoc eſt, impunè auferre ſua peccata. Latent quidem, ſed ad tempus: poſtea parent, id eſt, manifeſtantur. Tempus enim, & celat, & aperit omnia. *Parent* autem dictum eſt pro *apparent*.

Corporis exigui vires contemnere noli:
Conſilio pollet, cui vim natura negavit.

Noli contemnere inimicum, licet ſit puſillo corpore. Nam ſæpe quod corporis viribus detractum eſt, natura addit ingenij viribus. Quamquam hæc ſententia latiùs patet: nempè hominem non eſſe æſtimandum proceritate, roboréque corporis, ſed animo potiùs.

Quem ſcieris non eſſe patrem tibi, tempore cede:
Victorem à victo ſuperari ſæpe videmus.

Si ſenſeris tibi rem eſſe cum potentiore, cede ad tempus, & ſine penes illum eſſe victoriam. Nam incidit ſæpenumerò opportunitas, vt mutatis vicibus rerum, vincat qui victus fuerat; & ſuperior ſit, qui fuerit inferior. Convenit cum illo: *Vir fugiens, & denuò pugnabit.* Quidam ſtulta pertinacia ſtatim, aut vincere volunt, aut peſſundari.

Adverſum notum noli contendere verbis:
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.

Ut antè legisti. Contra verbosos non esse contendendum verbis, ita cùm familiaribus rixandum non est, quòd summa discordia soleat nasci ex verbulis levissimis.

Quid Deus intendat, noli perquirere sorte:
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

Nec hanc sententiam rectè vertit Planudes. Ne sortilegijs, ac malis artibus inquiras, quid de te futurum sit. Quandoquidem id Deus sciri non vult. Neque enim in te consilium adhibet, cùm aliquid decernit de re. Quod si te vellet id scire, nimirum accerseret te in consilium.

Invidiam nimio cultu vitare memento,
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

Et hanc sententiam non rectè vertit Planudes. Ne nimio splendore strepitúque vitæ conflaveris tibi hominum odium. Qui tametsi non possint te lædere, tamen molestum est vivere obnoxium odio multorum. At per se jucundum est omnibus esse carum, etiam si nihil vtilitatis inde capias. Quamquam hic ablativus, *Nimio cultu*, non refertur ad verbum *vitare*, sed ad *invidiam*, vt subaudias conflatam, aut ex *nimio cultu*.

Esto animo forti, cum sis damnatus iniquè,
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.

Ne abjicias animum, si adversarius vicit te præter jus. Nec enim diu exultabit, sed quod perperam pronunciavit judex, id Deus rejudicabit.

Litis præterita noli maledicta referre,

Post

Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Post reditum in gratiam, non oportet litis ante actæ convicia refricare, sed oblivisci superiorum injuriarum. Finita enim simultate, debet, & iratum esse finis. Secùs autem facere, malorum est. Græcè vocant verbo videlicet infimi, præteritorum malorum memoriam.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Teipsum nec vituperes, ne laudes: vtrumque enim videtur affectantis inanem gloriam. Nam, & qui se vituperat, ob id facere videtur, vt refellatur ab alijs, & diversa audiat.

Vtere quæsitis modicè, cùm sumptus abundat:
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Sera in fundo parsimonia. Dum adhuc multum superest, incipe parciùs vti: citiùs enim effluunt parta quàm colliguntur.

Insipiens esto, cùm tempus postulat aut res.
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Aliquando deponendum est supercilium, & remitenda severitas: vt in convivijs, in lusu, deponenda persona sapientis, sumenda persona stulti, præsertim inter stultos: at ita, vt stultum agas, non vt stultus fias. Summa enim prudentia est, servire tempori, *loco*, id est, cùm est opportunum. Ita Terentius: *In loco verò laudo.*

Luxurium fugito, simul, & vitare memento
Crimen avaritiæ, nam sunt contraria famæ.

Pugnant inter se luxus, & avaritia. Nam alterum est profusi, alterum sordidi: vtrumque vitium juxta fugiendum est, vtpotè quòd fœdam pariat famam. Siquidem qui nimium parci sunt, audiunt cumini-sectores, & ficos divide similiáque. Qui luxu sua profundunt, nepotes, & lurcónes appellantur.

Noli tu quædam referenti credere semper.

Exigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.

Non statim fides habenda ijs qui semper aliquid novi rumoris afferunt, déque aliorum factis nunciant aliquid. Parùm enim credendum ijs qui multa loquuntur, propterea quod huic vitio vanitas soleat esse admista.

Quod potu peccas ignoscere tu tibi noli:

Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.

Vulgus ita solet excusare sua peccata; Vinum in causa fuit: Benè potus hoc dixi. Verùm tibi ipsi imputa, non vino, quod tuo vitio noxium fuit, non suo.

Consilium arcanum tacito committe sodali,

Corporis auxilium medico committe fideli.

In rebus arcanis, & tacendis, cave ne quemvis consulas, sed eum dumtaxat, cujus fidem in tacendo perspectam habeas, ne non solùm non opituletur, sed lædat etiam, & infamet. Neque enim corporis vitia cuique aperi, sed medico notæ fidei, qui celet, & succurrat.

Successus indignos noli tu ferre molestè,

Indulget fortuna malis, vt lædere possit.

In

In hoc versu multi laborant. Quidam *s*, elidunt in *successu*. Verùm tu si tollas *Tu*, dictionem planè hic supervacuam, nihil superest scrupuli. Ne te cruciet prosperitas, quę nonnunquam contigit indignis Non enim illis favet fortuna, sed insidiatur, & illicit, vt posteà graviùs lædat.

Prospice, qui veniunt, hos casus esse ferendos:
Nam leviùs lædit quidquid prævideris ante.

Quidquid accidere potest homini, id antequam accidat, tecum meditare, vt ne subitum sit, si acciderit: minùs enim cruciant mala quæ non accidunt inopinanti.

Rebus in adversis animum submittere noli:
Spem retine, spes vna hominem, nec morte relinquit.

Cùm fortuna sævit, sustine teipsum animi fortitudine, ac serva rebus secundis: nec abjicias spem, quæ sola nec morientem relinquit. Quamdiu enim anima est, spes est. Et in pyxide Pandoræ sola spes in labro hæsit. Item Ovidius, *Vivere spe vidi, qui moriturus erat.*

Rem tibi, quam nescis aptam, dimittere noli:
Fronte capillata post hæc Occasio calva.

Quoties fortuna offert commoditatem aliquam; quæ tibi sit apta, statim arripe. Nam occasio frontem habet capillatam, vt ea parte teneri possit, verùm si semel se everterit, ab occipitio calva est, vt jam apprehendi nequeat. Hoc est, opportunitas cùm contingit, teneri potest, non redit autem cùm vo-

voles, si neglexeris. Hic admonendum illud, quod Græci fingunt de Deo Cero, de quo nos copiosè in proverbijs.

Quod sequitur specta; quoque imminet, ante videto:

Illum imitare Deum, qui partem spectat vtramque.

Ex præteritis futura collige. Ex præteritis benè secúsve gestus consilium cape, quo pacto futuris occurras, exemplo Jani Dei Romani, quem bifrontem fingebat antiquitas, quod oporteat prudentem virum à fronte, & à tergo, vt inquit Humerus, habere oculos. Illud autem sequitur nos, quod præterett, & à tergo est.

Fortior, vt valeas, interdum parcior esto:

Pauca voluptati debentur, plura saluti.

Vitæ rationem moderare magis ex salutis, ac bonæ valetudinis ratione, quàm voluptatis. Non enim in morbo tantùm oportet ab intemperantia cavere, verum etiam cùm rectè valemus, parcius vtendum est rebus omnibus, nempe, somno, potu, cibo, Venere, lusu, ne in morbum incidamus. Etsi nonnihil dandum est voluptati, multò plus tamen saluti, qua perdita, pereunt simul, & voluptates omnes.

Judicium populi nunquam contempseris vnus,

Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

Nunquam optima placent multitudini: tamen sapientis est non pugnare solum adversus vniversos. Nam frustrà sapit, qui solus sapit, cùm omnibus desipere videatur.

Sit tibi præcipuè, quod primum est, cura salutis.

Tem-

Tempora ne culpes, cum sis tibi causa doloris.

Ante omnia, bonæ valetudinis rationem habe, ne si tua intemperantia in morbum incideris, posteà pudore rejicias culpam in cœli insalubritatem, aut loci, sicuti vulgus solet. Nam plerique morbi nobis accidunt ex intemperantia vitæ.

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Cùm vigilat, sperans, per somnum cernit idipsum.

Quidem anxiè observant sua somnia, & ex his de futuris existimant, cùm somnia dormientium nascantur ex affectibus vigilantium; neque significent quid sit eventurum, sed quod aliquando cogitaveris, dormienti repræsentent.

DISTICHORVM
MORALIUM.
LIBER III.

Hoc quicumque velis carmen cognoscere, Lector:
Hac præcepta feres, quæ sunt gratissima vitæ.
Instrue præceptis animum, nec discere cesses.
Nam sine doctrina, vita est quasi mortis imago.
Commoda multa feres: sin autem spreveris illud;
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

Hoc

HOc est prooemij loco. Absque ratione benè vivendi vita non est vita, sed simulacrum mortis. Hoc carmen vtilissima vitæ præcepta tradit, si studeas agnoscere. Sin spreveris, teipsum contempseris, non scriptorem. Siquidem tua res agitur, non illius.

Cùm rectè vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrij nostri non est, quid quisque loquatur.

Si malè de te loquuntur mali, cùm tu nihil facias mali, esto contentus conscientia rectè factorum. Nam in te situm est, vt benè agas. Non est in te situm, quomodo de te loquatur hic aut ille.

Productus testis, (salvo tamen ante pudore)
Quantumcumque potes, celato crimen amici.

Si citeris testis in crimine amici, celabris pro virili maleficium illius: ita tamen, vt ipse non lædas famam tuam, & tantum silentij dabis amicitiæ, quantum patietur, & fama tua, & testimonij religio.

Sermones blandos, blæsosque cavere memento,
Simplicitas veri, sana est: fraus ficta loquendi.

Veritatis simplex est oratio, insidiosa est blandi loquentia, proinde suspecta semper esse debet prudentibus

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignavia fertur;
Nam cum animus languet, consumit inertia corpus.

Ignavia, & otiosa vita fugienda est. Nam torpor animi, corpori quoque situm, & languorem adducit; animi exercitatio, corporis quoque valetudini confert.

Interpone tuis interdum gaudia curis;
Vt possis animo quemvis sufferre laborem.

Animus serijs negotijs fatigatus, aliquando relaxandus honestis ac moderatis voluptatibus, vt redintegratis viribus ab ferendos labores sufficiat. Nam *Quod caret alterna requie, durabile non est.*

Alterius dictum, aut factum, ne carpseris vnquam,
Exemplo simili ne te derideat alter.

Quod in alios feceris, hoc in te fiet ab alijs. Si libenter reprehendas aliorum facta dictáque, tuo exemplo, & alij in te vtentur.

Quæ tibi sors dederit tabulis suprema notato:
Augendo serva, ne sis quem fama loquatur.

Quod tibi obvenit ex testamento tuorum, id serva, ne fias vulgo fabula. *Quæ sors suprema*, id est, hæreditas, *dederit tibi notato*, id est, inscripto tabulis testamentarijs, vel *notata*: id est, scripta tabulis, ea *augendo serva*, id est, ita serva, vt augeas etiam. Vulgus enim multa dicere solet in novas nactos divitias.

Cùm tibi divitiæ superant in fine senectæ,
Munificus facito vivas, non parcus amicis.

Est vitium hoc senibus peculiare, vt quò propriùs accedant ad mortem, hoc fiat contractiores *superant*, id est, supersunt, & abundant: *in fine senectæ*, id est, in extrema senectute, quam decrepitam vocant. Tum igitur dones, sed amicis, qui te foveant obsequijs.

Vtile consilium dominus ne despice servi;

Nullius

Nullius sensum, si prodest, tempseris unquam.
Propter auctoris humilitatem non est contemnenda salubris sententia. Nec spectandum est, quis dicat, sed quid dicatur.

Rebus, et in censu, si non est quod fuit antè,
Fac vivas contentus eo, quod tempora præbent.
Diminuta fortuna tua, non est vtendum eodem splendore, quo priùs: sed contentus eris eo genere vitæ, quod præsens fortuna tibi prębet. Et quod adest, boni consules.

Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,
Nec retinere velis, si cœperit esse molesta.
Fuge, id est, cave ne ducas vxorem dotis causa. Et si duxeris dotatam, ne dotis respectu eam retineas, si tibi gravis sit, sed contempta dote repudies. Quamquam id apud Christianos non habet locum.

Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris,
Quæ fugias. Vita est nobis aliena Magistra.
Qui suis discunt periculis, quid expediat, magna mercede discunt: sapiens ex aliorum vita sumit vivendi consilium. Hoc illi infamiam conflavit, cavebo ne quid simile faciam. Hoc illi benè cessit, imitabor.

Quod potes, id tentes; operis ni pondere pressus,
Succumbat labor, et frustrà tentata relinquas.
Priùs expende vires tuas, quàm aggrediare negotium, ne postea victus difficultate, turpiter relinquas, quod temerè suscepisti.

Quod

Quod nosti haud rectè factum, nolito tacere,
Ne videare malos imitari, velle tacendo.
Noli dissimulare, si quid videris non rectè fieri, videberis enim probare, cùm siles. Silentium enim aliquando consensus esse videtur.

Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato:
Ipse etiam leges cupiunt, vt iure regantur.
Si premeris iniqua lege, hoc est, dura, & inhumana; confugias ad judicis æquitatem. Non enim hoc est contra leges, sed ex mente legum, vt ad æquitatem redigantur, & temperentur. Iniqua lex est, cùm summo jure contenditur, veluti si pauper in vincula conjiciatur, quòd non alat patrem cùm lex dicat, *Liberi parentes alant, aut vinciantur.* Aliquando lex durior est, vt terreat. In his judex, hoc est prætor, aut princeps, potest succurrere.

Quod meritò pateris, patienter ferre memento:
Cùmque reus tibi sis, ipsum te judice damna.
Incommodum quod tua culpa tibi accidit, non imputabis alij quàm tibi: & cùm tibi sis conscius, damna teipsum, tuique judex esto; & ea te pœna dignum existimato.

Multa legas facito, per lectis per lege multa:
Nam miranda canunt, sed non credenda poetæ.
Multa quidem legos, sed cum judicio. Nec enim omnia vera sunt, quæ legis apud poetas. Fortassis pro *perlege* legendum est *perline*: hoc est, dele, & corrige.

Inter convivas fac sis sermone modestus,

Ne

Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

In foro locus est eloquentiæ, in cubiculo silentij: in convivijs alternis, ac moderatis sermonibus uti convenit, iisque venustis, & amœnis. Quidam, dum humanitatem affectant, loquacitate molesti sunt reliquis convivis, quibus non relinquunt loquendi spatium.

Conjugis iratæ noli tu verba timere:

Nam lacrymis struit insidias, dum fœmina plorat.

Uxores lacrymas habent in promptu: his expugnant viros. Admonet igitur, ne quid commoveamur hujusmodi lacrymis. Fingunt enim eas sæpenumerò, quò viros suos fallant: velut cùm simulant se commoveri zelotypia, ut suum adulterium dissimulent, aut iratas se fingunt ei, quem afflictum amant. Pro *noli tu*, legendum arbitror, *nolito*.

Utere quæsitis: sed ne videaris abuti.

Qui sua consumunt, cùm deest, aliena sequuntur.

Utere, quæ parasti, non abutere, ne profusis bonis tuis cogaris, vel imprudenter rogare aliena, vel serviliter ex alieno vivere, vel periculosè furari aliena.

Fac tibi proponas, mortem non esse timendam:

Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

Mors vel ob hoc timenda non est, quòd finis est omnium hujus vitæ malorum.

Uxoris linguam si frugi est, ferre memento:

Namque malum est, nil velle pati, nec posse tacere.

In amicis leviuscula quædam vitia ferenda sunt, & alio-

alioqui probi fuerint: volunt in vxore, si paulo sit loquacior, aut linguæ procacioris, ferendum est, si alioqui pudica est, & frugi, hoc est, suo fungens officio. Maximè quòd linguæ morbus ei sexui peculiaris est. Malus est is, qui nihil vitij ferre potest in alijs, præsertim cum res facilis sit tacere: sic enim vxor desinet obgannire, si nihil respondeas, quemadmodum solitus est Socrates.

Dilige non ægra caros pietate parentes:
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Pietas, amor, & cultus est erga parentes, patriam, Deum, & si quis loco parentum est Quidam veluti legibus coacti colunt parentes, non ex animo. *Dilige parentes caros pietate non ægra*, id est, non coacta, neque gravatim, sed promptè, & alacriter. Et si quid inciderit dissidij inter parentes, ita alteri obsequaris, vt alteram non offendas, sed pietas tua careat omni molestia.

DISTICHORVM

MORALIUM.

LIBER IV.

SEcuram quicumque cupis traducere vitam.
Nec vitijs hærere animum, quæ moribus obsunt

Hac

Hæc præcepta tibi ſemper relegenda memento,
Invenies aliquid, in quo te utare Magiſtro.

Et hoc prœmium eſt quarti libri. Si vis eſſe liber ab omnibus vitijs, & nullius mali tibi concius vivere, hæc ſemper habeas præ manibus. In quibus invenies, in quo teipſo Magiſtro poſſis uti, hoc eſt, ut ipſe regas, ac modereris vitam tuam, adjutus his præceptis.

Deſpice divitias, ſi vis animo eſſe beatus:
Quas qui ſuſpiciunt, mendicant ſemper avari.

Non jubet abjicere divitias, ſed non magnifacere. Etenim qui has ſuſpiciunt, hoc eſt, mirantur, ac magnifaciunt, dum non audent uti quæ poſſident, & ſemper aliquid accumulant, ſemper mendicant: hoc eſt, egeni ſunt.

Commoda natura nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris, quod poſtulat uſus.

Si metiaris ſumptus uſu, hoc eſt, neceſſitate, non ambitione, neque voluptate, nunquam tibi deerunt commoditates naturæ, quæ paucis contenta eſt, cùm cupiditates immenſum deſiderent.

Cùm ſis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

Si res malè tibi ſuccedunt tuapte negligentia, ne conferas culpam in fortunam, ut illam cæcam appelles, cùm tu ipſe magis parum proſpexeris. Poteſt accipi bifariam, *quæ non eſt*, id eſt, quæ nulla eſt. Fingunt enim mortales hanc deam, cum nulla ſit. Aut, *quæ non eſt*, ſubaudi, *cæca*.

Dili-

Dilige denarium, sed parcè dilige formam,
Quam nemo sanctus, nec honestus captat habere.

Amare pecuniam ad vsum, prudentis est: amare vt forma pascat oculos, avari ac dementis. Denarium volunt omnes, formam soli mali captant.

Cùm fueris locuples, corpus curare memento:
Æger dives habet nummos, sed non habet ipsum.

Cùm agitur de corporis valetudine, ne tum parce, divitijs tuis. Etenim qui morbo non succurrit, ne minuat pecuniam, is habet quidem nummos, ac seipsum non habet, cùm malè valeat. Mavult nummos esse salvos, quàm seipsum: & illis frui, quàm seipso. Fortasse pro *sed* legendum *se*.

Verbera cùm tuleris, discens aliquando, Magistri.
Fer patris imperium, cùm verbis exit in iram.

Vapulasti, puer, à præceptore cùm discas litteras. Multò magis ferre convenit, cùm pater te verbis objurgat. Tulisti litteratoris tyrannidem multò sæviorem, feras, & patris imperium, qui etiam cùm irascitur, tamen à verberibus temperat.

Res age, quæ prosunt, rursus vitare memento
In quibus error inest, nec spes est certa laboris.

De quibus dubites, ea ne feceris. Age illa ex quibus certa speratur vtilitas. Rursus in quibus falli posses, & incertum est profutura ne sint, an nocitura, ab ijs abstineas.

Quod donare potes, gratis concede roganti:
Nam rectè fecisse bonis, in parte lucrorum est.

Dona libenter si quid potes. Nam lucrum est, non dam-

damnum quod contuleris in bonos: in beneficiũ dando accepit, qui digno dedit. Redit enim cum fœnore, quod probo viro benefeceris.

Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit:
Namque solent primò quæ sunt neglecta, nocere.

Quæ suspicionem habent mali, ea noli negligere, sed statim examina, & exquire cujusmodi sint. Nam initijs facilè medeberis, si quid mali sit: at neglecta crescunt, ac maximè lædunt posteà. Veluti si suspicaberis amicum alieniore esse in te animo, noli negligere, quid sibi velit, sed excute vnde hoc natum sit. Et si quid est, statim occurre nascenti malo.

Cùm te detineat Veneris damnosa voluptas,
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

Cave, ne duplices morbum tuum: vnus enim vtcumque fertur, duo simul ferri non possunt. Amare damnosa res, damnosa gula. Quod si pariter vtroque laboras malo; superest, vt mox ad egestatem redigaris. Gulam vocat studium exquisitorum ciborum, eamque dicit ventris amicam, quòd per eam venter saginatur, res & fama decrescit.

Cùm tibi proponas animalia cuncta timère,
Vnum hominem tibi præcipio plus esse timendum.

Cùm tua sponte putes omnes feras esse timendas, meo præcepto vnum animal maximè timebis, nempe hominem. Nam nulla bellua magis homini nocet, quàm homo homini.

Cùm tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,

Fac

Fac sapias, sic tu poteris vir fortis haberi.
Si natura dedit vires corporis, non statim vir fortis eris, nisi adjunxeris ingenij vim, hoc est, sapientiam, quâ corporis robore rectè vtaris.

Auxilium à notis petito, si fortè laboras:
Nec quisquam melior medicus, quàm fidus amicus;
Corporis morbos aperis medico. Animi morbos aperi fideli amico. Ille pharmacis sanat, hic verbis. Aliter. Si quid morbi inciderit, magis amicum accerse, quàm medicum.

Cùm sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.
Veteres credebant expiari scelus commissum mactata pecude, quæ nihil commiserat, & pro alieno peccato innocens dabat pœnas, cum is, qui peccavit, potiùs mactari debuerit, quàm victima. Sultè autem sperabant alienam mortem sibi saluti fore, cùm sua quemque mala de suo dependere oporteat.

Cùm tibi, vel socium, vel fidum quæris amicum,
Non tibi fortuna est hominis, sed vita petenda.
Amicus, quem velis adjungere, non æstimandus est sensu, sed ex moribus. Idem oportet fieri in vxoribus.

Vtere quæsitis opibus, fuge nomen avari.
Quid tibi divitiæ prosunt, si pauper abundas?
Frustrà parasti divitias, si partis vti non audes, & inter magnas opes vivis inops. Nihil enim refert habere, si quæ habes, nihilo plus tibi prosunt, quàm ea quæ non habes.

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.
Si cupis honestam tueri famam, noli amare voluptates inhonestas, nempe gulæ, libidinis, & similium.

Cùm sapias animo, noli irridere senectam:
Nam quicumque senex, sensus puerilis in illo est.
Cùm per ætatem vigeat ingenium tuum, & animi vis, noli deridere senectutem, quæ minùs animo valeat. Desipiscit enim omnis senex, & ad puerilem stultitiam redit. Ætatis igitur vitium ferendum, non ridendum est.

Disce aliquid: nam cùm subitò fortuna recedit,
Ars remanet, vitámque hominis non deserit vnquã.
Opes sæpenumero subito fortuna eripit homini, veluti incendio, furto, bello, naufragio; verùm ars eripi non potest. Hæc itaque certissima possessio est, quæ semper, & vbique te possit alere.

Perspicio tecum tacitus, quid quisque loquatur:
Sermo, hominum mores, & celat, & indicat idem.
Nulla res magis arguit, & aperit vitam, & ingenium hominis, quàm illius oratio. Hoc est certissimum animi speculum Igitur si vis hominem, cujusmodi sit, cognoscere, perpende tecum qualis sit illius oratio. Sermo indicat mores hominis, si loquatur ex animo, & celat idem, si vel taceas, vel dissimulanter loquaris.

Exerce studium, quamvis perceperis artem:
Vt cura ingenium, sic et manus adjuvat vsum.
Vt evanescunt disciplinæ, nisi exercitatione confirmes.

mes, sic artificium opere confirmandum erit, ne excidat.

Multum ne cures venturi tempora fati:
Non timet is mortem, qui scit contemnere vitam.
Si vis liber esse à metu mortis, disce vitam non magni facere. Et quemadmodum eleganter docet Aristoteles: Nullius rei jucunda fruitio est, nisi quàm aliquo modo contempseris.

Disce, sed à doctis, indoctos ipse doceto:
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.
Disce non à quovis, sed ab his qui possunt docere. Rursum quod ab alijs didiceris, id alijs imperti. Utilium enim rerum scientia non est præmenda, sed per manus tradenda.

Hoc bibe, quod possis, si tu vis vivere sanus:
Morbi causa mali est homini quandoque voluptas.
Ne biberis supra vires. Brevis enim illa bibendi voluptas sæpenumerò conciliat homini molestum, & diuturnam morbum.

Laudaris quodcumque palàm, quodcumque probaris.
Hoc vide ne rursus levitatis crimina damnes.
Levis, & inconstans videberis, si quod aliquando coram multis laudaris, idem postea damnes. Quod si mutasti sententiam, fac sileas. Fortaßè pro *vide*, legendum est, *fuge*. *Crimine*, id est, suspicione, & cum vituperio.

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa caveto:
Rursus in adversis, melius sperare memento.
Ne securus sis cum fortuna tranquilla est, sed tem-

pestatem

pestatem cave. Rursum cùm fortuna sævit, animum sustine, spe melioris fortunæ, quæ successura sit. In secundis rebus timenda sunt adversa, ne sis supinus. In adversis speranda sunt lætiora, ne deficias animo.

Discere ne cesses, curâ sapientia crescit:
Rara datur longo prudentia temporis vsu.

Juxta Solonis sententiam; Oportet senescere semper aliquid addiscentes. Nam *rara*, hoc est singularis, & eximia prudentia, contingit *longo vsu*, id est, diutina experientia ætatis. Quamquam mihi magis probatur, hic vt sit sensus. Semper disce, studio crescit sapientia. Nam pauci sunt, qui prudentes evadunt experientia rerum, vel quia paucis contingit diu vivere, vel quia complures stultitiam non exuunt hac via. Certissima ac brevissima ad sapientiam via est doctrina.

Parcè laudato: nam quem tu sæpe probabis,
Vna dies, qualis fuerit, monstrabit, amicus.

Ne laudes amicum effusiùs, cujus non feceris periculum: siquidem ille sæpiùs abs te laudatus, vno aliquo die declarabit alium fuisse se, quàm tu prædicaris.

Ne pudeat, quæ nescieris, te velle doceri:
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere velle.

Quidam stulto quodam pudore malunt semper nescire, quàm semel discere: cum scire pulchrum sit, & pudendum nihil velle discere. Ergo honestum velle.

Cùm Venere, & Baccho lis est, & juncta voluptas.
Quod lautum est, animo complectere, sed fuge lites.
Excerpe quod inest boni: fuge quod adjunctum est mali. Exhilarat potatio, discutit curas, vtere hac commoditate, sed rursus ebrietas incitat ad jurgia; hoc cave. Item Venus delectat, sed habet sua jurgia. Ama igitur absque diffidijs.

Demissos animos ac tacitos vitare memento:
Quà flumen placidum est, forsan latet altiùs vnda.
Tristes ac tacitos vita, videntur enim aliquid magni mali moliri. Quemadmodum cavendum est flumen ea parte, qua tranquillum est. Nam illud profundissimum esse solet. Ita Cæsar magis metubeat Brutum, & Cassium, pallidos ac tacitos, quàm Antonium ebrium.

Cùm tibi displiceat rerum fortuna tuarum,
Alterius spectes, quod sis discrimine peior.
Quoties tædet te tuæ sortis, confer eam cùm aliorum fortuna, & videbis te nihilo peiorem, hoc est infeliciorem multis.

Quod potes, id tenta: nam littus carpere remis,
Tutius est multò, quàm velum tendere in altum.
Aggredere tuta magis quàm magna. Tutius enim est navigare juxta littus, & remis vti, quàm passis velis periclitari in fluctibus. Nec enim omnibus favent venti fortunæ.

Contra hominem justum pravè contendere noli:
Semper enim Deus injustas vlciscitur iras.
Noli pravè, hoc est, malitiosè, & data opera, ac perver-

perversè contendere cum homine justo. Nam Deus nunquam hoc relinquit inultum.

Ereptis opibus noli mœrere dolendo;
Sed gaude potiùs, tibi si contingat habere.

Si divitiæ contingunt, gaude: si ereptæ fuerint, noli te cruciare: sed tunc vtere Philosophia. Neque enim tantum boni habent, vt sit admodum dolendum si perierint: neque rursum tantum mali, vt non sint libenter accipiendæ, si fortè contigerint. Constant carmen veteris lectionis, *noli gaudere mœrendo*, esse depravatum. Arbitror legendum, *noli mœrere querendo*. Planudes videtur hoc sensisse. Ereptas opes ne deplores, sed gaude potius habuisse te quod perderes. Sed dubium non est quin à Planude scriptum fuerint. Porrò querendo non est à *quæro*, sed à *queror* deponenti verbo: pro quo Planudes vertit. Hic casus erit exemplo nonnunquam è duobus codicibus depravatis, restitui veram lectionem. Deinde quantopere expediat, auctorum monumenta non vni linguæ fuisse commissa.

Et jactura gravis, quæ sunt amittere damnis,
Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.

Si verbulo lædar amicus, ferendum est. At damna rerum nemo potest æquo animo ferre. In his igitur cavendum, ne lædamus amicum.

Tempora longa tibi noli promittere vitæ;
Quocunque ingrederis, sequitur mors, corporis umbra.

Nemo potest sibi longæ vitatem promittere, cùm mors

mors hominem quocumquè eat, non aliter insequatur, quàm vmbra corpus. Fortaſsè legendum, *corpus vt vmbra.* Nam ſi reddidir Planudes.

Ture Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro.

Ne credas placare Deum, dum cæde litatur.

Non gaudet Deus morte pecudum: ergo ture litandum eſt illi, hoc eſt, re innoxia. At hodie plerique Chriſtianorum, licet apud nos ſublatus ſit mos immolandi pecudes, tamen Deo ac Divis gemmas, aurum, argentum, ſerica, aliáque ſuſpendunt, memores hæc à Sanctis non fuiſſe contempta.

Cede locum læſus fortunæ, cede potenti

Cedere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

Qui rem habet cum proceribus, quoniam prodeſſe poſſunt in multis, neceſſe eſt, vt aliquando muſſet injurias, id eſt, tacitus ferat. Lædunt enim aliquando potentes, & tyrannidem exercent. Hic igitur prudens illis debet cedere, vt poſtea per illos ſuis prodeſſe poſſit. Nam ſi reſiſtens reddiderit eos hoſtes, nec ſuis prodeſſe poterit.

Cùm quid peccaris, caſtiga te ipſe ſubinde:

Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.

Ubi ſenſeris te alicubi peccaſſe, ſtatim pœnas ſumito de te ipſo, & noli tibi ignoſcere. Te ipſum interroga, tibi ipſi laboris aliquid indicito. Nam vt in ſanandis vulneribus, dolor dolore ſanatur, ſiquidem, ne doleat vulnus, infundis acria, quæ mordent; ſic iſta reprehenſio tametſi amara eſt, tamen medetur vitio animi.

Dam-

Damnabis nunquam post longum tempus amicum:
Mutavit mores, sed pignora prima memento.

Si is cum quo tibi fuit diutina consuetudo, forte mutatis moribus alius esse cœpit, hoc debes tribuere veteri necessitudini, ne vituperes eum, etiamsi non est dignus, qui ametur.

Gratior officijs quò sis magé, carior esto,
Ne nomen subeas, quod dicitur offici perda.

Ut sis carus omnibus, esto gratus *officijs*, id est, beneficijs, & benemeritis. Invisum enim apud omnes est nomen officiperdæ. Sic enim vocant eum, in quem collocatum officium perditur. Nihil enim tam perit, atque id, quod confertur in ingratum.

Suspectus, caveas, ne sis miser omnibus horis:
Nam timidis, & suspectis aptissima mors est.

Qui sibi fingit periculum, is nunquam non miser vivit. Nilhil igitur huic aptius quàm mors, quandoquidem non potest jucundè vivere. *Suspectus* hic accipit activè pro *suspicioso*.

Cùm fueris servos, proprios mercatus in usus,
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.

Sic vtere servis tuis licet emptitijs, vt memineris homines esse, non pecudes. Quod empti sunt, fortunæ fuit: quod homines sunt, in hoc tibi sunt pares.

Quamprimùm rapienda tibi est occasio prima;
Ne rursus quæras, quæ jam neglexeris antè.

Occasio, quam antè dixit frontem habere capillatam, statim

ſtatim eſt arripienda: ne ſi ſe ſubduxerit, fruſtrà quæras poſtea, quæ priùs contempſeras.

Morte repentina noli gaudere malorum:
Felices obeunt, quorum ſine crimine vita eſt.

Si mali ſubitò moriantur, dolendum magis eſt, quàm gaudendum. Gaudendum potiùs in morte bonorum, quorum mors felix eſt. Vel ſic, vt vertit Planudes, tametſi malus auctor: Si videris malos ſubitò tolli, noli gaudere. Contingit idem bonis viris, & innocentibus, vt intelligas hoc caſu accidere, non vindicta numinis. Hæc indicavi, non vt inſecter Planudem, ſed vt nobis Græci vieiſſim ignoſcant, ſicubi labimur in peregrina lingua.

Cùm conjux tibi ſit, nec res, & fama laboret:
Vitandum ducas iniquum nomen amici.

Si pauper habueris vxorem, quæ laboret famâ, hoc eſt, de qua homines malè loquantur, *ducas*, id eſt, exiſtimes, nomen amici vitandum eſſe, vtpote inimicum famæ tuæ: videberis enim proſtituere vxorem, hoc prætextu: & hoc nomine divites, pauperum vxores captant. Ita propemodum Planudes. Tametſi poteſt, & alius eſſe ſenſus, nimirum hic. Si tibi ſit vxor, re ſatis lautor, famâque ſecunda, noli te dare in familiaritatem potentum, ne quid labis vxori tibique contrahas.

Cùm tibi contingat ſtudio cognoſcere multa,
Fac diſcas multa, vites neſcire doceri.

Quod plura didiſceris, hoc plura ſtude cognoſcere: Ne videaris indocilis vllius rei.

Mira-

Miraris verbis nudis me scribere versus?
Hos brevitas sensus fecit conjungere binos.

Sententia nudis verbis explicanda est. Melius enim meminimus, quæ brevia sunt. Idcirco nudis verbis singula præcepta singulis distichis complecti voluit, vt apertior esset, & brevior.

FINIS.

ERASMUS

ROTERODAMUS

LECTORI S. D.

FAC memineris, Lector, quæ hactenus legisti, Ethnici esse decreta, vt scias cum judicio esse legenda. Quæ nunc lege, ipsius CHRISTI, & Sanctæ Ecclesiæ sunt oracula, quæ tutò sequi possis, immò quæ sola beatam possint efficere. Proinde sic lege, vt rem seriam, ac vale.

(*†*)

CHRI-

CHRISTIANI

HOMINIS INSTITUTUM.

PER ERASMUM ROTERODAMUM
Auctorem damnatum.

Ad Gal. 5. *Valet in Christo fides, quæ per dilectionem operatur.*

FIDES.

CREDO. PRIMUS ARTICULUS.

Confiteor primum ore pio, venerorque fideli
Mente Deum patrem, vel nutu cuncta potentem.
Hunc qui stelligeri spatiosa volumina cœli,
Et solidum omnipara telluris condidit orbem.

ET IN JESUM. II.

Ejus item gnatum Jesum, conomine Christum,
Quem dominum nobis cognoscimus, ac veneramur.

QUI CONCEPTUS. III.

Hunc Maria afflatu divini Numinis, alvo.
Concepit virgo, peperit purissima virgo.

PASSUS SUB PONTIO. IV.

Et grave supplicium immeritus, damnate Pilato,
Pertulit, infami suffixus in arbore, mortem
Oppetiit, tumulatus homo est, claususque sepulcro.

Inte-

Intereà penetrat populatur ad infera regna.

TERTIA DIE. V.

Mox ubi tertia lux mœsto se promiserat orbi,
Emersit tumulo superas redivivus in auras.

ASCENDIT. VI.

Inde palam æthercam scandit sublimis in arcem,
Illic jam dexter Patri assidet omnipotenti.

ITERUM VENTURUS. VII.

Idem olim rediturus, ut omnem judicet orbem,
Et vivos, pariter vitâque, & lumine cassos.

CREDO IN SPIRITUM. VIII.

Te quoque credo fide simili spirabile numen;
Halitus, afflatúsque Dei sacer, omnia lustrans.

SANCTAM ECCLESIAM. IX.

Et te confiteor, sanctissima concio, qua gens
Christigena arcano nexu coit omnis in unum
Corpus, & unanimis capiti sociatur JESU.
Hic proprium nescit, sed habet communia cuncta.

REMISSIONEM PECCATORUM. X.

Hoc equidem in cœtu sancto, peccata remitti
Credo vel iis, sacro fuerint qui fonte renati,
Vel qui diluerint ultro sua crimina fletu.

CARNIS RESURRECTIONEM. XI.

Nec dubito quin examinata cadavera rursum
In vitam redeant, animas sortita priores.

VITAM ÆTERNAM. XII.

Utraque pars nostri, corpusque animusque deinceps,
Juncta simul, vitam ducent sine fine perennem.

SEPTEM

SEPTEM

SACRAMENTA.

Hoc quoque persuasum est: Ecclesia mystica septem
Munera dispensat, quæ Sacramenta vocantur,
Hinc variæ dotes, & gratia plurima menti
Cœlitùs inseritur, si quis modò sumpserit aptè.

ORDO. I.

Ordine namque sacro, confertur sacra potestas.
Ut fungare ministerijs, (Christo auspice) sanctis.

MATRIMONIUM. II.

Munere conjugij, nati hunc prodimus in orbem;
Usque adeò pulchri pulcherrima portio mundi.

BAPTISMUS. III.

Munere Baptismi longè fæliciùs ijdem.
Quàm priùs in te, Christe, renascimur atq; novamur.

CONFIRMACIO. IV.

Deinde in amore Dei nos confirmatio sacra
Constabilit, mentémque invicto robore durat.

EUCHARISTIA. V.

Mysticus ille cibus, (Græci dixere synaxim)
Qui panis vinique palàm sub imagine CHRISTUM
Ipsum præsentem verè exhibet, intima nostri
Viscera cœlesti saginat, et educat esca,
Inque Deo reddit vegetos, et reddit adultos.

POENI-

POENITENTIA. VI.

Si quem fortè Deo capitalis reddidit hostem,
Noxia, continuò Metanœa medebitur illi.
Restituet lapsum, recissaque fœderea rursum
Sarciet, offensi placabit Numinis iram:
Commissi modo pœniteat, pigeátque nocentem:
Jsque volens per agat præscripta piamina culpæ.

UNCTIO. VII.

Vnguinis extremi munus nos munit, et armat:
Migrantèmque animam per summa piacula, tutò
Transmittit patriæ, & Superis commendat euntem.

AMOR DEI.

Hæc est indubitata fides, cui pectore certo
Nixus, amabo Patrem super omnia cunctipotentem.
Qui me condideritque, & in hunc produxerit orbem.
Rursus amore pari Dominum complectar JESVM:
Qui nos asseruit, pretióque redemit amico.
Spiritum item sanctum, qui me sine fine benigno
Afflatu fovet, atque animi penetralia ditans
Dotibus arcanis, vitali recreat aura.
Atque hic ternio sanctus, & omni laude ferendus,
Toto ex corde mihi, tota de mente supremis
Viribus, obsequio, meritóque coletur honore.
Hunc vnum reverebor, & hoc semel, omnis in vno
Spes mea figetur, hoc omnia metiar vno.
Hic propter sese mihi semper amabitur vnus.

AMOR SUI.

Post hunc haud alia ratione, ac nomine carus,

Ipse

Ipse mihi fuero, nisi quatenus omnis in illum.
Ille mihi referatur amor, fontemque revisat.

FUGA PECCATI.

Culpam praeterea fugiam pro viribus omnem.
Praecipuè capitale tamen vitavero crimen,
Quod necat, atque animam lethali vulnerat ictu.

SUPERBIA, INVIDIA, IRA.

Ne fastu tumeam, ne vel livore maligno.
Torquear, aut bili rapiar fervente, cavebo.

GULA, LUXURIA, PIGRITIA.

Ne vel spurca libido, vel insaciabilis alvus
Imperet, enitar, ne turpis inertia vincat.

AVARITIA.

Ne nunquam saturanda fames me vexet habendi:
Plus satis vt cupiam fallacijs munera mundi.

FUGA MALORUM HOMINUM.

Improba pestiferi fugiam commercia coetus
Omnia, summo animi conatu, proque virili.

STUDIUM PIETATIS.

Atque huc incumbam nervis, ac pectore toto,
Ut magis atque magis superet mihi gratia, virtus,
Augescátque piae divina scientia menti.

DEPRECATIO.

Orabo, superósque precum libamine puro
Placare adnitar, cum tempore sedulus omni,
Tum verò eximiè, quoties lux festa recurret.

FRUGALITAS VICTUS.

Frugales epulae semper, mensaeque placebis
Sobria munditiis, & avari nescia luxus.

JEJUNIUM.

Servabo reverà, quoties jejunia nobis
Incidit certis Ecclesia sancta diebus.

MENTIS CUSTODIA.

Sancta uti sint mihi secreta penetralia mentis:
Ne quid eo subeat fœdamve, nocénsve, studebo.

LINGUÆ CUSTODIA.

Ne temerè juret, ne unquam mendacia promat,
Turpia ne dictu dicat mea lingua, cavebo.

MANUS CUSTODIA.

A furto cohibebo manus, nec ad ulla minuta
Viscatos mittam digitos, et si quid ademptum
Cuiquam erit, id domino properabo reddere justo.

RESTITUTIO REI REPERTÆ.

Id quoque restituam, si quid mihi fortè repertum est.
Me penes haud patiar prudens aliena morari.

AMOR PROXIMI.

Nec secùs atque mihi sum carus, amabitur omnis
Proximus: est autem, ni fallor, proximus illè
Quisquis homo est, at sic, ut amor referatur amici
In Christum, vitámque piam verámque salutem.
Huic igitur fuerit quoties opus atque necesse,
Sedulus officio corpusque animumque juvabo:
Ut mihi succurri cupiam, si forsan egerem.
Id tamen in primis præstabo utrique parenti,
Per quos visibili hoc nasci mihi contigit orbe.
Tum præceptori, qui me erudit instituítque
Morigerus fuero, ac merito reverebor honore.
At rursus dulcisque schola, studijque sodales,

Sem-

Semper, uti par est, sincero amplectar amore.

CONFESSIO.

Si quando crimen fuero prolapsus in ullum,
Protinus etinar, pura ut confessio lapsum
Erigat, ac justâ tergatur noxia pœnâ.

SUMPTIO CORPORIS CHRISTI IN VITA.

Ast ubi sacrari me ad corporis atque cruoris
Cœlestes epulas, pietasque diésque vocavit:
Illotis manibus metuas accedere: pectus
Ante meum, quanta cura studióque licebit,
Purgabo maculis: virtutum ornabo nitellis.

MORBUS.

Porrò ubi fatalis jam terminus ingruet ævi,
Extremúmque diem cum morbus adesse monebit,
Mature sacramentis me armare studebo.
Atque his muneribus, quæ Ecclesia sancta ministrat
Christigenis, reteget confessio crimina vitæ,
Sacrifici, sumam CHRISTI venerabile corpus.

MORS.

Quòd si vicinæ propiùs discrimina mortis
Urgebunt, supplex accersam qui mihi ritè
Oblinat, ac signet sacro ceromate corpus.
Atque his præsidijs armatus, sic uti dignum est
Christicolæ forti ac fidenti pectore, vita
Decedam, bonitate Dei super omnia fretus.

Hoc fac, & vives.

DICTA

DICTA INSIGNIA
SEPTVM SAPIENTVM
GRÆCIÆ.

OMNIBVS placeto.
Bona res quies.
Periculosa temeritas.
Quidquid promiseris, facito.
Amicis adversa fortuna vtentibus, idem esto.
Infortunium tuum celato.
Ne voluptate afficias inimicos.
Veritati adhæreto.
Violentiam oderis.
Age quæ justa sunt.
Domus curam age.
A maledicentia temperato.
Ne teipsum præcipites in discrimen.
Temperantiam exerce.
Calumniam oderis.
Turpia fuge.
Voluptati tempera.
A jurejurando abstine.
Pietatem sectare.

Lau-

Laudato honesta.
A vitijs abstine.
Beneficium repende.
Supplicibus misericors esto.
Litem oderis.
Sapientum vtere consuetudine.
Liberos instituе.
Bonos in pretio habeto.
Audi, quæ ad te pertinent.
Probrum fugito.
Responde in tempore.
Ea facito, quorum non possit pœnitere.
Ne cui invideas.
Quod justum est, imitare.
Benè meritos honora.
Spes fove.
Affabilis esto.
Cùm erraveris, muta consilium.
Diuturnam amicitiam custodi.
Dolorem fuge.
Mortuum ne rideto.
Amicis vtere.
Delecta amicos.
Consule inculpatè.
De Numine ne malè loquere.
Quid sit autem, ausculta.
Audito multa, loquere pauca.
Prius intellige, deinde ad opus accede.
Ne ob divitias laudaris virum indignum.

Prin-

Principem honora;
Amicos probato.
Nemini promittito.
Similis esto tui.
Quod adest, boni consule.
Susurronem ex ædibus ejice.
A familiaribus in minutis rebus læsus, feras;
Inimicum ne putes amicum.
Quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta.
Ante omnia venerare Numen.
Inter amicos ne fueris judex.
Ne contende cum parentibus, etiam si justa dixeris;
Infortunatum ne irriseris.
Ne lingua præcurrat mentem,
Quæ fieri non possunt, ne concupiscas.
Uxorem ducito ex æqualibus.

LAUS DEO.

2

1